V8034

UNIVERSITY OF THE

Q. ENNII ANNALIUM

LIBRI PRIMI FRAGMENTA

EMENDATA DISPOSITA ILLUSTRATA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE VII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLII.

PUBLICE DEFENDET

HUGO ILBERG

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEODORUS HUG, PHIL. DR.
IOANNES VAHLEN, PHIL. DR. RENUNT.
FRIDERICUS REIFENRATH, THEOL. STUD.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGII.
MDCCCLII.

THEOPHILO · WELCKERO

FRIDERICO · RITSCHELIO

VIRIS · ILLVSTRISSIMIS

PRAECEPTORIBVS · OPTIMIS

SVMMA · PIETATE · COLENDIS

SACRVM

THEOPHILO · WELCKERO

FRIDERICO · RITSCHELIO

VIRIS · ILLVSTRISSIMIS

PRAECEPTORIBVS · OPTIMIS

SVMMA · PIETATE · COLENDIS

SACRVM

Libri primi fragmenta.

Argumentum.

Invocantur Musae . quae si poetam adiuverint, carmina late celebrabuntur. 1—3. Homeri umbra ab inferis exorta somnianti poetae aperit, Graeci vatis animam ex naturae lege ab uno ad alterum transeuntem iam in Ennium esse delatam. 4—11. Troia incensa Anchises augurio admonitus Aeneam novas sedes quaerere iubet. 12—14. Aeneas ad Hesperiam, Saturniam terram, appellitur. 15—17. pergit ad Albanorum regem, foedus facit. 18—21. Ilia Aeneae regis filia, vestalis facta, maiori sorori suae somnium refert: vim sibi illatam, vocem patris inter deos relati auditam trepidantemque consolatam esse. 22. Amulius, Aeneae ex Albana uxore filius, Martis et Iliae pueros recens natos in fluvium forte super ripas effusum abiici iubet. 23. Ilia ipsa quoque in undis peritura summa in miseria deos implorat. 24—25. Mars et Venus desperantem consolantur. 26—27. Dii deaeque concilium habent, in quo Mars et Venus pro Ilia et filiis eius deprecantur . obloquitur Iuno, qua tandem placata undas iis nihil nocituras, unum puerorum aliquando deum futurum decernitur. 28—33. Ilia ad poenam luendam in amnem praecipitata deo fluviali nubit. 34. undae intra ripas refluunt: lupa modo enixa pueris in campo derelictis ubera praebet: pastores eos apud se recipiunt. 35—38. exercent ludos pastorales. 39. pastoribus latrocinantibus praedam

eripiunt. 40—41. Remum captum et ad Amulium ductum liberat Romulus de sua fratrisque origine certior factus. 42. Romulus Romam in Palatino, Remus Remoram in remotiore colle aedificaturus est . certantes auguriis arbitrium permittunt, quae Romulo favent. 43. DCC. fere ante Ennii aetatem anno Roma conditur. 44. Remus murum eius per ludibrium transilit, fratris manu perit. 45—46. virgines Sabinae rapiuntur . pugna inter soceros et generos gliscente raptae accelerant lacrimisque profusis ab armorum discrimine dehortantur . Hersilia, Romuli uxor, Titum Tatium regem, patrem suum, castigat, foedus persuadet, persuasum precibus suis confirmat. 47—53. rebus belli domique bene gestis (v. comment. ad fr. 54) ex consulto deorum Romulus inter tempestatem e mediis civibus suis in caelum abripitur. Romani ingenti eius desiderio tenentur. 54. Romulum, Quirinum dictum, deum inter deos vivere nunciatur. 55—56. desiderium lenitur. poeta nova Quirini Horaeque, quondam Hersiliae, aeque inter deos receptae numina invocat. 57.

1.* Musae quae pedibus magnum pulsatis Olumpum

2.* Musas quas memorant, nos ciemus sas Casmenas

C = edit. Hier. Columnae Neap. 1590, repet. Franc. Hessel Amstel. 1707.

M = edit. Pauli Merulae Lugd. Bat. 1595.

S = edit. E. S(pangenbergii) Lips. 1825.

Quos versus e Calpurnii Pisonis continentia veterum poetarum et e Fornerii glossario, libris subditiciis, Merula protulit, Spangenbergius recepit, omisi; quos coniectura in primum annalium librum intuli, asterisco notavi.

1. Varro de l. l. VII. 20. *Musae quae p. m. p. Olympum.* Serv. ad Aen. XI. 660 pulsant] Ennius ad musas: *quae pedibus pulsatis Olympum. adeste | Musae M.*

2. Varr. de l. l. VII. 26. (c. Flor.) Cornua a curvore dicta quod

3. Latos per populos terrasque poemata nostra clara cluebunt
4.* . . . . uisus Homerus adesse poeta
5.* Hei mihi qualis erat
6.* O pietas animi
7.* . . . . . caua quaeque in corpore caeruleo caeli cortina receptat
8.* Oua parire solet genus pennis condecoratum,

---

pleraque curva*mus ac quas memorant nosce nos esse* Camenarum priscum vocabulum ita natum ac scriptum est: alibi Carmenae ab eadem origine suut declinatae. In multis verbis quod antiqui dicebant S, postea dicunt R. om. C. *et quas commemorant Casmoenas esse* M. *Casmenas esse Latini* Scal. Popma. S. *Musae Quas memorant Graii, nos nomine Casmenarum* O. Muell.

3. Val. Prob. gramm. inst. p. 1401. poemată. Ennius in primo: *nam latos populos res atque poemata nostra cluebant* et ita editt. nisi quod C *cluebat*, M *cluvebat*, S *cluvebit* in VII. *Nam Latii populos* Jan. Dousa.

4. Cic. acad. II. 16. 51. Num censes Ennium, quum in hortis cum Serv. Galba vicino suo ambulavisset, dixisse: visus sum mihi cum Galba ambulare? At quum somniavit, ita narrat: *visus Homerus adesse poeta.* — Cic. acad. II. 27. 88. quum experrectus esset Ennius *non se vidisse Homerum sed visum esse* (dixit) . . . nisi Ennium non putamus ita totum illud audivisse „*o pietas animi*“ si modo id somniavit, ut si vigilans audiret. — Aen. II. 270 sq. *In somnis ecce ante oculos moestissimus Hector Visus adesse mihi largosque effundere fletus . . . hei mihi qualis érat! quantum mutatus ab illo Hectore* sq. — Serv. ad v. 274 *hei mihi*] Ennii versus. *in somnis ibi* praef. S.

5. Aen. II. 274. cum Serv. adnot. v. fr. 4. *quantum mutatus ab illo* addunt CMS.

6. Cic. ac. II. 27. 88. v. ad fr. 4. — Don. ad Eun. III. 5. 12 *o festus dies hominis*] pro *homo festi diei.* sic dicitur etiam *scelus homo.* Ennius: *o pietas animi.* in Iliona C. in inc. M. in XVIII. S.

7. Varro de l. l. VII. 48. Apud Ennium: *quaeque in corpore causa ceruleo felo orta nare ceptat.* cava cortina dicta, quod est inter terram et caelum ad similitudinem cortinae Apollinis. Sic emend. Turneb. — *quaeque freto cava caeruleo cortina receptat* Scal. CMS.

8. Varro de l. l. V. 59. Caelum et Terra, quod anima et corpus.

non animam: post inde venit divinitus pullis ipsa anima

9.* Quae dedit, ipsa capit neque dispendi facit hilum

10.* . . . . memini me fiere pauom

11.* Lunai portum, est operae, cognoscite ciues

12.* Quom ueter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo

13.* Doctusque Anchises, Venus quem pulcerrima diuom fari donauit, diuinum pectus habere

---

Humidum et frigidum terra sive *Ova parire solet genus pennis condecoratum non animam*, ut ait Ennius et *post inde venit divinitus pullis Ipsa anima.* — Prisc. p. 384. s. parire. Ennius: *Ova — condecoratum.* p. 477 parire Ennius: *Ova — cond.* p. 509. Ennius: *ova — cond.* Diom. p. 378. ap. vet. parire dictum invenimus. Apud Ennium: *Ova — cond. Inde v. d. d. insinuans se* ex interpolatis codd. (Lucr. I. 116.) C in Epicharmo. in IIII. l. M de Castore et Polluce (!). om. S.

9. Varro de l. l. V. 60. Recte igitur Pacuvius quod ait *animam aether adiugat* et Ennius *terram corpus quae dederit, ipsam capere neque dispendi facere hilum.* — Idem VIIII. 54. *Nihil* vocabulum recto casu apparet in hoc: *quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum.* in Epich. C. om. MS.

10. Charis. p. 75. P. pavos et pavo. Ennius: *memini me fieri pavom.* — Donat. ad Phorm. I. 2. 24: dixit *memini relinqui* ut in Andria *memini me videre* et Ennius: *memini me fieri pavum.* — Donat. ad Adelph. I. 2. 26 *si esset, unde id fieret*] *fieret* producta prima syllaba. Ennius: *memini me fieri pavum.* — Donat. ad Andr. II. 5. 18. *Memini videre* pro *vidisse.* Ennius: *memini me tum fieri pavum. Tum* (*Quom* M) memini fieri me p. CMS.

11. Persius sat. VI. 9—11.

Lunai portum, est operae, cognoscite cives.
cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.

cognoscite ex opt. codd. ed. O. Iahn. *cognoscere* CMS.

12. Prisc. p. 118. *Veterrimus* quasi a *veter* positivo . . Ennius: *Cum veter o. Pr. s. M. P.*

13. Prob. ad buc. 6. 31 ed. H. Keil. Ennius Anchisen augurii ac per hoc divini quiddam habuisse praesumit sic: *doctusque Anchisesque Venus quem pulchra dearum fari donavit divinum pectus habere.* Naevius belli Punici libro tertio sic: *postquam avem aspexit in templo Anchisa* sq. Cynthius Cenetensis class. auct. e vatic. codd. ed. VII.

14. . . . . face uero,
quod tecum precibus pater orat . . . .
15. Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant
16.* Quam prisci casci populi tenuere Latini
17.* . . . . late Saturnia terra
18. Qui caelum uersat stellis fulgentibus aptum
19.* Assaraco natus Capus optumus, isque pium ex se
Anchisen generat
20. Accipe daque fidem foedusque feri bene firmum

---

p. 386. Anchises vates fuit auctor divinandi: Ennius *doctusque Anchises venis* et Naevius bell. Pun. l. III. *templo Anchisa* sq. — Schol. Veron. ad Aen. II. 687 ed. H. Keil. Peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse [et divini quiddam habuisse probare po]ssunt Naev[ius et Ennius in An.] qui ita de eo ait: *doctus Anchisa Venus quem pulcherrima divum fata docet divinum ut pectus haberet plu—* || post nox serena est. *Atque A. doctus V. q. pulcra dearum* CMS.

14. Fest. p. 197. *Orare* antiquos dixisse pro *agere* testimonio sunt et oratores et qui nunc quidem legati, tunc vero oratores, quod reip. mandatas partes agebant. Ennius quoque quom dixit in l. I. annal. *Facere vero quod te cum pr. p. orat.* *oro* MS. [*Tu*] — *oro* uno versu S.

15. Macrob. Sat. VI. 1. Ennius in primo: *Est l.* sq.

16. Varro de l. l. VII. 28. *cascum vetus* esse significat Ennius quod ait: *quam prisci casci populi genuere Latini. quam primum* CMS ex interpol. codd. *Casci* CM. *genuere* C.

17. Varro de l. l. V. 42. Hunc (Tarpeium sive Capitolinum) antea montem Saturnium appellatum prodiderunt et ab eo *late Saturniam terram*, ut etiam Ennius appellat, antiquum oppidum in hac fuisse Saturuia scribitur. *Olim Saturnia nomen Huic fuerat, de qua l. S. t.* C. *Saturnius olli Nomen erat, de quo l. s. t.* MS.

18. Macrob. Sat. VI. I. Ennius in primo: *Qui cael.* sq.

19. Philargyrius ad Georg. III. 35. Ex Iove et Electra, Atlantis filia, nascitur Dardanus: ex quo Erichthonius, cuius Troius (Tros), cuius Assaracus, cuius Laomedon et Capis et Laomedontis Priamus, eius Hector et ceteri. At Capis Anchises, cuius Aeneas . . Ennius: *Assaraco natus Capis optimus isque pium ex se Anchisen generat.*

20. Macrob. Sat. VI. I. Ennius in primo: *Accipe* sq.

21.* Olli respondit rex Albai Longai

22.* Excita quom tremulis anus attulit artubus lumen,
talia commemorat lacrumans exterrita somno:
„Eurudica prognata, pater quam noster amavit,
uires uitaque corpus meum nunc deserit omne,
nam me uisus homo pulcer per amoena salicta
et ripas raptare locosque novos: ita sola
postilla, germana soror, errare videbar
tardaque uestigare et quaerere te neque posse
corde capessere, semita nulla pedem stabilibat.
exin compellare pater me uoce uidetur
his uerbis: „o gnata, tibi sunt ante ferendae
aerumnae, post ex fluuio fortuna resistet.“
haec effatus pater, germana, repente recessit
nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
quamquam multa manus ad caeli caerula templa
tendebam lacrumans et blanda uoce uocabam.
uix aegro tum corde meo me somnus reliquit.“

23. Haec effatur ibus: latrones dicta facessunt

24. Te, dea sancta, precor Venus et genetrix patris nostri,
ut me de caelo uisas cognata parumper

---

21. Donat. de metapl. 1772 *διαίρεσις* est discissio syllabae unius in duas facta, ut est: *Olli r. r. A. L.* — Atil. Fortunatian. Ennius: *Olli r. r. A. L.* Isidor. I. 34. — Aen. XII. 18. *Olli sedato respondit corde Latinus.*

22. Cic. de div. I. 20. 40. Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poetarum. Narrat enim et apud Ennium Vestalis illa (Ilia cj. C.): *Excita quum* sq. cf. Orell. edit. v. 4. *vivens vita meum corpus* C. v. 13. *haec pater ecfatus* CM. v. 14. *in complexum* cj. M. p. 632.

23. Non. p. 306. 23. *facessere* est *facere.* Ennius Annalibus lib. I. *haec et fatus ibique latrones dicta facessunt. ecfatus* CMS, *ubi* Scal. C., *ibus* cj. Lips.

24. Non. 378. 16. *Parumper cito et velociter* . . Ennius Annali lib. I. *te saneneta precor V. e. genetrix* sq. *Te nunc* CMS.

25. Macrob. Sat. VI. 1. Ennius in primo: *Teque pater* sq.

25. Teque, pater Tiberine, tuo cum flumine sancto
26.* . . . . cetera quos peperisti,
ne cures
27.* Ilia, dia nepos, quas aerumnas tetulisti
28.* Iuno Vesta Minerua Ceres Diana Venus Mars
Mercurius Iouis Neptunus Volcanus Apollo
29. Constitit inde loci propter sos dia dearum
30.* O genitor noster, Saturnie, maxime diuom
31.* Respondit Iuno Saturnia sancta dearum
32.* Effudit uoces proprio cum pectore sancto
33.* Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli
templa

---

26. Serv. ad Aen. VIIII. 656. *Cetera deinceps*: et est adverbium [i. e. in ceterum, est autem Ennianum: *cetera quos peperisti, ne cures.*]

27. Charis. p. 70. Ennius: *Ilia dia nepos, quas erumnas tetulisti.* — Fest. p. 286 s. *recto fronte* . antiquae consuetudinis id fuit, ut cum ait Ennius quoque *a stirpe supremo* et *Ilia dia nepos* et *lupus feta* et *nulla metus.* — Non. 215. 7. *Nepos* dici et femina potest Ennio auctore, quae nunc *neptis* dicitur *Ilia da nepos, quas erumnas netulisti.*

29. Apulei. de deo Socr. c. 2. Quorum in numero sunt illi duodecim, situ nominum in duos versus ab Ennio coartati: *Iuno Vesta* sq. — M. Capella. I. §. 42 . . quos distichon complectitur Ennianum: *Iuno, Vesta* sq.

29. Fest. p. 301. s. *sos* pro *eos.* Ennius li. I. (ex H. Keilii collat. in nov. mus. rhen. Vol. VI., li. II. Muell.): *constitit inde loci propter sos dea diarum.*

30. Prisc. II, 102. *O genitor* sq.

31. Serv. ad Aen. IIII. 576. *sancte deorum* secundum Ennium dixit: *respondit Iuno S. s. d.* Claud. Sacerd. I. 118. *Saturnia pulchra dearum.* Don. de barbar. p. 1769.

32. Serv. ad Georg. II. 423. Ennius: *effudit v. p. cum pectore sancto.* i. e. proprio pectore, nam *cum* abundat.

33. Varr. de l. l. VII. 6. Incipiam hinc: *Unus erit, quem tu tolles in caeruta caeli tempta.*

34.* . . . . ut Ilia reddita nuptum
35.* Postquam consistit fluuius, quist omnibus princeps,
qui sub caeruleo . . . . .
deque serunt undae campos ripasque remanant
36.* . . . . lupus femina feta repente
37.* dulciferae fici lactantes ubere toto
38. Endo tuetur ibi lupus femina, conspicit omnia:
hinc campos celeri passu permensa parumper
conicit in siluam sese

Ovid. Met. XIIII. 812 sq.
Tu mihi concilio quondam praesente deorum —
nam memoro memorique animo pia verba notavi —
unus erit, quem tu tolles in caerula caeli
dixisti: rata sit verborum summa tuorum.

Ov. fast. II. 485 sq. Redde patri natum: quamvis intercidit alter,
Pro se proque Remo, qui mihi restat, erit.
unus erit, quem tu tolles in caerula caeli
tu mihi dixisti: sint rata dicta Iovis

34. Serv. ad Aen. III. 333. *Reddita* more veteri pro *data* accipiendum . *re* ergo abundat. Ennius in annalibus: *ut illa* (*Ilia*) *reddita nuptum.* om. C.

35. Fronto de orationibus p. 249 ed. sec. Mai. Ennius: *postquam consisti se fluvius qui omnium princeps, qui sub civilia.* — Cic. orat. 48. 161. ita enim loquebamur: *qui est omnibus princeps,* non *omnibus princeps.* — Fest. p. 282. *remanant reptent.* Ennius l. I. *desunt rivos camposque remant.* Paul. *remant, repetant.* Ennius: *rivos camposque remant.*

36. Serv. ad Aen. II. 355. Sane apud veteres *lupus* promiscuum erat, ut Ennius: *lupus femina feta repente.* — Quintil. I. 6. 12. *lupus* masculinum, quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat *lupum feminam* dicit Ennium Pictoremque Fabium secutus. v. fragm. 38. Fest. p. 286 ad fr. 27. om. CM. *repente procubuit* S.

37. Charis. p. 103. Plinius Secundus recte arborem ita (*ficus, us*) dici ait, pomum vero per *o* literam dici. *Fici* Ennius: *dulciferae fici lactantes ubere toto.* Lucilius: *fici comeduntur et uvae.*

38. Non. p. 378. Ennius Annali lib. I. *indotuetur ibi lupus femina conspicit omnis in campo celeri passu praemens parumper conicit in silvam sese.* *ubi . . amneis* C. *ibus . . omneis in campo c. p. praesto esse* MS.

39.* . . . . saxa
ludicre iactant, pars inter se licitantur
40.* . . fortunasque suas coepere latrones
inter se memorare
41.* Occiduntur ibi, potitur ratus Romulus praedam
42.* Ast hic, quem nunc tu tam toruiter increpuisti
43. Curantes magna cum cura, concupientes
regni dant operam simul auspicio augurioque:
hinc Remus auspicio se deuouet atque secundam
solus auem seruat . at Romulus pulcer in alto
quaerit Aventino seruans genus altiuolantum.
certabant, urbem Romam Remoramne uocarent.
omnis cura uiris, uter esset endoperator:
expectant veluti, consul quom mittere signum
uolt, omnes auidi spectant ad carceris oras,
quam mox emittat pictis e faucibus currus.
sic expectabat populus atque ora tenebat

---

39. Non. 134. 13. *Licitari congredi pugnare.* Ennius: *pars ludicre saxa iactant inter se licitantur.* *pars Ludicre i. s. i. s. l.* CMS, *nisi quod* M *Pars ludicre* et S. *licitantes.*

40. Non. 134. 29. *Latrocinari* militare mercede . . Ennius: *fortunasque quas coepere latrones inter se memorare.* *ecquas* Scal. CMS. *cepere* MS. *suas cj.* Mercer.

41. Fest. p. 274. *ratus sum* significat *putavi*, sed alioqui pro *firmo certo* ponitur *ratus* et *ratum*. Ennius: *occiduntur ubi potitur ratus Romulus praedam.* *ubi* C. *ibus* MS. *praeda* C. *praedam dispertit* MS ex Fornerii glossario.

42. Non. 516. 15. s. *torbiter.* Ennius lupi (lib. I. cj. Scal.) *Ast ic quem nunc tu tam torbiter increpuisti.*

43. Cic. de div. I. 48. 107. Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure: *Curantes magna cum cura* sq. — Gell. VI. 6. *locos* porro *praepetes* et augures appellant et Ennius in annalium primo dixit: *praepetibus hilares sese pulchrisque locis dant.* v. 6. *Romamne Remamne* CMS Orell. v. 10. *qua mox* C (Fest. p. 261 *quam mox* significat *quam cito*). — v. 11. *ore timebat* C. — v. 16. *laeta* C. — v. 17. *cedunt ter quatuor* CMS. — v. 18. *avium praepetibus sese p. l. d.* codd. Cic. CMS.

rebus, utri magni uictoria sit data regni.
Interea sol albus recessit in infera noctis,
exin candida se radiis dedit icta foras lux,
et simul ex alto longe pulcerrima praepes
laeva uolavit auis, simul aureus exoritur sol:
cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta,
praepetibus hilares sese pulcrisque locis dant.
conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
auspicio regni stabilita scamna solumque.

44.* Septingenti sunt paullo plus aut minus anni,
augusto augurio postquam incluta condita Romast

45. Iuppiter, ut muro fretus magis quamde manu sa
imperat

46. Non pol homo quisquam faciet impune animatus
hoc nisi tu: nam mi calido das sanguine poenas

47. Virginis, nam sibi quisque domi Romanus habet sas

---

44. Varro de. r. r. III. c. 1. vetustissimum oppidum quum sit traditum Graecum Boeotiae Thebae, quod rex Ogyges aedificavit, in agro Romano Roma, quam Romulus rex. nam in hoc nunc denique est, ut dici possit, non quum Ennius scripsit: *septingenti sunt paullo plus aut minus anni augusto augurio postquam incluta condita Roma est.* — Sueton. Aug. c. 7. loca quoque religiosa et in quibus augurato quid consequatur, *augusta* dicuntur . . sicut etiam Ennius docet scribens: *augusto augurio p. i. c. R.*

45. Fest. p. 261. *Quamde* pro *quam* usos esse antiquos cum multi veteres testimonio sunt, *tamen huius* (l. *tum Ennius*) in primo: *Iuppiter ut muro fretus magis quamde man' impe* v. Muell. suppl. adn. p. 400. om. C. *Iuppiter haud* M. *manuum vi* MS. *manu sa* Muell. ibid.

46. Macrob. Sat. VI. 1. Ennius in primo: *Non pol* sq. Serv. ad Aen. VIIII. 422. *Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas persolves amborum*] Ennius in primo: *nam mi calido das sanguine poenas.* *dabis* CMS.

47. Fest. p. 325. *Sas* Verrius putat significare *eas*, teste Ennio, qui dicat in l. I. *virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas* (eadem exhibet Paulus), cum *suas* magis videatur significare. *virgine'*, CMS. *domos R. rapit* MS.

48.* Maerentes flentes lacrumantes ac miserantes
49.* O Tite tute Tati tibi tanta turanne tulisti
50. Nam ui depugnare sues stolidi soliti sunt
51. At te non ut sum summam seruare decet rem
52. Aeternum seritote diem concorditer ambo
53. . . . Nerienem Mauortis et Herem
54. Pectora . . tenet desiderium, simul inter
sese sic memorant: „o Romule, Romule die,
qualem te patriae custodem di genuerunt.
o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum,
tu produxisti nos intra luminis oras.“

---

48. Charisius p. 251. Diomed. p. 442. Ennius: *Moerentes flentes lachrymantes ac mis.* Donat. de schemat. p. 1774. Pompei. in art. Don. p. 461. Lind. *Merentes fl. lacr. commiserantes.* Auctor ad Herennium 4. 12. 18. *Flentes plorantes lacrimantes obtestantes.*

49. Prisc. 553. Ennius: *O Tite* sq. Prisc. II. 329. Auct. ad Herenn. 4. 12. 18. Charis. p. 251. Donat. de schem. p. 1774. Claud. Sacerd. I. 118. Isid. I. 35. 14. al.

50. Fest. p. 317. *stolidus stultus.* Ennius l. I. *nam vi dep.* sq.

51. Fest. p. 298. *sum* pro *eum* usus est Ennius lib. I.: *At tu non ut sum summa servare decet rem.*

52. Charis. p. 177. s. *concorditer.* Ennius annalium libro primo: *aeternum seritote diem concorditer ambo.* *alternum* CMS.

53. Gell. XIII. 22. Ennius in primo annali in hoc versu: *Nerienem Mavortis et hercle ni* (ita codd. l. *Herem*, si) quod minime solet numerum servavit, primam syllabam intendit, tertiam corripuit.

54. Cic. de rep. I. 41. 64 iusto quidem rege quum est populus orbatus, *pectora diu tenet desiderium*, sicut ait Ennius post optimi regis obitum, *simul inter sese sic memorant*: *o Romule . . oriundum.* non heros nec dominos appellabant eos, denique ne reges quidem, sed patriae custodes, sed patres et deos nec sine causa . quid enim adiungunt? *Tu produxisti nos intra luminis oras.* — Lactant. de fals. relig. c. 15. Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens haec loquitur: *o Romule, Romule dico Qualem te . . . Tu produxisti . . . O pater o genitor o. s. d. o.* — Prisc. p. 262. Ennius in I. (ita Columna in pervetusto exemplari legebat, vulgo in II.) annalium: *O genitor, o. s. d. o.* *pectora . . . memorant* non hab. CM. *dura tenet* S. *dico* CM.

55.* **Romulus in caelo cum dis genitalibus aeuom degit**

56. **Transnauit cita per teneras caliginis auras**

57. . . **Quirine pater ueneror Horamque Quirini**

Ambigitur quo referenda sint:

58. **Quom superum lumen nox intempesta teneret**

59. **Quos homines quondam Laurentis terra recepit**

---

55. Serv. ad Aen. VI. 764. Ennius: *Romulus i. c. c. d. genitalibus aevom degit.* — Cic. Tusc. I. 12. 28. *Romulus in caelo cum dis agit aevom.* — Cic. de orat. III. 38. 154. *versutiloquus* et *expectorat* ex coniunctione facta verba, non nata: saepe sine coniunctione verba novantur, ut ille *senius*, ut (illud Ennii cj. Orell.?) *dii genitales*, ut *bacarum ubertate incurviscere.* *degat* MS.

56. Philargyrius ad Georg. 4. 59. *Nare* (de apibus) pro *volare* . ut Ennius in primo: *transnavit cita* sq. *citu* MS.

57. Non. 120. 2. *Hora* iuventutis dea. Ennius annali libro I. *Quirine pater veneror Horamque Quirini.* *Teque* praefigunt CMS.

58. Macrob. sat. VI. 1. Ennius in primo: *Quum superum* sq.

59. Prisc. 332. *Laurentis* etiam pro *Laurens* dicebant. Ennius in annalibus: *Quos homines quondam* sq. v. comment. ad fr. 22.

Denique apud Fest. p. 242 s. *pes* nil nisi *Ennius L. I. An*— e clade servatum est.

Commentarius.

1. *Olumpum,* non *Olympum* v. Cic. orat. 48. 160. „*Burum* semper Ennius, nunquam *Pyrrhum* : *vi patefecerunt Bruges*, non *Phryges*, ipsius antiqui declarant libri . nec enim graecam litteram adhibebant.“ Mar. Victor. p. 2456 P. „nec *z* litteram nec *y* in libros suos retulit [Attius].“ Callide Merula e Servii *Ennius ad musas* i. e. ait *adeste Musae* elicuit, ut versu *Horrida Romuleum certamina pango duellum*, qui subditicius est, probabilius librum exorsus esse videretur. — Fragmento facile primum locum vindicat Varro de r. r. I. 1. „quoniam, ut aiunt, dei facientes adiuvant, prius invocabo eos: nec ut Homerus et Ennius Musas, sed XII. deos consentis.“

2. Partem versus, in qua casus aliquis *Casmenae* nominis legebatur, librariorum errore apud Varronem excidisse quum in propatulo sit (cf. VII. 33. VII. 43. Fest. p. 177 s. ningulus) genetivum, quem maxime volebam, inferre conatus neque *nos nomine Casmenarum* probare neque aliud quidquam Ennio satis dignum indagare potui. Quare advocatis Pauli Diac. verbis p. 66 *ciere nominare*, in quibus ex Bergkii illo invento (prooem. Marb. 1844.) glossam Ennianam latere suspiceris, statui cum Kochio (diss. Bonn. 1851. p. 5), corruptelam ex minus notis vocibus *ciemus sas* prodiisse. De consonantis potestate *i* litterae in *ciemus*, quam Ennius in *hic* (nom. pl.) *insidiantes vigilant, partim requiescunt* ap. Philargyrium ad Georg. 4. 230 et in *Nerienem Mavortis et Herem.* fr. 53. item in consonantem duravit, — in Andromacha ap.

Cic. Tusc. III. 19 *abiete* eum vel tribus brevibus protulisse adnotat Lachm. — conferri volo Lachmannum ad Lucretium p. 130. 193., de pronominibus *sum sam sas sos* Fest. p. 298. 325. 301., de forma *Casmenae* Paulum Diac. p. 67. cum adnott. Muelleri. — Iure versus Ennio vindicatur, qui solet graecis vocabulis tunc minus cognitis latina apponere v. Probum ad ecl. VI. 13. Cic. de N. D. II. 36, et quidem primo fragmento statim subiiciendus est, quod ubi primum commemorabatur, musarum nomen interpretandum erat. Male eum tractavit Clussmannus in Naevii reliq. p. 84.

3. E Lucretio medicinam petivi I. 117 de Ennio praedicante: *qui primus amoeno Detulit ex Helicone perenni fronde coronam, Per gentis Italas hominum quae clara clueret.* Itaque accusativis *latos populos* necessariam praepositionem *per* interposui, quae quum a voce *populos* absorpta esset, coniunctione *nam*, nisi forte ex annalium signo ea repetenda est, versus resarciebatur . ferri non possunt *res atque*, quibus *terrasque* substitui codicum vestigiis non multum desertis; et quum adiectivum *latos*, quod non temptandum esse Vergilius Aen. I. 228 *terrasque iacentes litoraque et latos populos* confirmat, non expediat in superiorem versum relegare, vocem *clara* litterarum initialium cum proxima concentu commendatam ex Lucretio inserui. futurum sententia flagitabat. — Musarum ope confisus elati animi poeta videtur ea de se ipso praedicavisse.

4. Quae sequuntur octo fragmenta pertinent ad memoratissimum illud somnium, quo Homeri umbra ab inferis exorta Ennium tanquam alterum Homerum rerum Romanarum praeconem initiaverat. Schol. ad Pers. sat. VI. 10. „Sic enim ait Ennius in Annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse in somnis Homerum dicentem, fuisse se quondam pavonem et ex eo translatam in se animam esse secundum Pythagorae philosophi diffinitionem.“ Scholiasta Cruqu. ad Horat. p. 694. „Ennius in principio annalium somnio se scripsit admonitum, quod secundum Pythagorae dogma anima Homeri in suum corpus venisset.“ Fronto ad Marcum Caes.

I. 3. „Transeo nunc ad Quintum Ennium nostrum, quem tu ais ex somno et somnio initium sibi fecisse.“ imitantur Cicero de rep. VI. 10., Vergilius Aen. II. 270 sq., memorant Horatius ep. II. 1. 10 non sine irrisione „Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, Ut critici dicunt, leviter curare videtur, Quo promissa cadant et somnia Pythagorea,“ Fronto de eloqu. p. 229. Tertullianus, alii infra memorandi.

5. Quum Vergilio Aen. II. 270 et 271 quae in quarto fr. leguntur obversarentur, haec verba ibidem v. 274 servata, quae Enniana esse Servius tradidit, iure eidem somnio accensentur, in quo commode de tristi umbrae aspectu accipi possunt, quoniam ex Ennii opinione *simulacra modis pallentia miris*, ut est ap. Lucret. I. 123, in Orco versabantur. Brevius quam editores fr. emittere non dubitavi saepe Servium negligentissime Vergilii fontes indicare expertus: qui quamvis v. c. ad Aen. II. 241 *o patria, o divom domus Ilium et incluta bello Moenia Dardanidum* adscripserit: „*o patria*] versus Ennianus,“ ne hunc quidem versum annalibus inserere licet, quoniam facile tibi persuaseris Vergilium h. l. Andromachae illa ap. Cic. Tusc. III. 19 *o patria, o Priami domus, saeptum altisono cardine templum*, ut quae ibidem ex eadem tragoedia subiiciuntur Aen. II. 501 imitatum esse. Ceterum ipse ille inter Lucretium et Vergilium consensus arguit plus eos e communi fonte hausisse, inprimis lacrimas illas, *salsas* a Lucretio dictas, quod Enniani moris fuisse colligere licet ex Servio A. II. 173. *salsusque per artus sudor iit*] Probo sane displicet *salsus sudor* et supervacue positum videtur. hoc autem Ennius de *lamis* (l. *lacrimis*) dixit.

6. His verbis ab Ennio, ut iuxta hoc somnium Cicero refert, in somnio auditis Homerus poetam alloquitur.

7-9. Lucretius l. I. 116 sq.:

an pecudes alias divinitus insinuet se (anima, ignoratur),
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
per gentis Italas hominum quae clara clueret;
etsi praeterea tamen esse Acherusia templa

Ennius aeternis exponit versibus eidem,
quo neque permaneant animae neque corpora nostra,
sed quaedam simulacra modis pallentia miris;
unde sibi exortam semper florentis Homeri
commemorat speciem, lacrimas effundere salsas
coepisse et rerum naturam expandere dictis.

Hi versus multa Ennianorum verborum vestigia produnt et in carmine, unde haec tria fragmenta desumpta esse videantur, definiendo summi sunt momenti. Etenim in Epicharmo suo Ennius multa cognominis Siculi poetae de diis, de animae natura et id genus dicta, quibus comoedias eius refertas fuisse scimus, latinis versibus expresserat v. Varronem de l. l. V. 59 sq. Cic. acad. II. 16. 51 Prisc. VII. 12. Cui carmini horum fragmentorum argumentum tam appositum esse quam abhorrere ab annalibus quum facile quis opinari possit, quum porro Siculi poetae versibus „*Εὖμαῖε τὸ σοφόν ἐστιν οὐ καθ' ἓν μόνον Ἀλλ' ὅσα περ ζῇ, πάντα καὶ γνώμαν ἔχει. Καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος Αἰ λῇς καταμαθεῖν ἀτενές, οὐ τίκτει τέκνα Ζῶντ' ἀλλ' ἐπῳζει καὶ ποεῖ ψυχὰν ἔχειν*“ apud Diogenem Laert. in vit. Epich., ut Epicharmo controversae naturae carmini conveniebat, fragmentum octavum ex altera parte respondere et metrorum denique varietas personarum varietate („Ennii Epicharmus Proserpinam quoque appellat“ Varro de l. l. V. 60. „Epicharmus dicit“ V. 64.) excusari videatur, non miror vel summos viros Epicharmo ea asseruisse. At ea species fallacissima est: nam non solum sine audaciae crimine nullo auctore iuxta tetrametros troch. cat., quod metrum certa fragmenta produnt, hexametros fuisse statui nequit, verum etiam quum ultimi versus Lucret. quos ad annales spectare vel alio modo ostensum est, *Homerum rerum naturam pandentem* iis inferant, inconsentaneum esset, *aeternos versus* v. 121. (cf. v. Virg. Aen. I. 358 *ora modis attollens pallida miris* cum Lucret. I. 123 facile ex eodem fonte petitum) et fragmentum octavum versu 116. significatum, quod septimum et nonum ultro sequuntur, non ad eosdem annales revocare: quae quum ad universam de rerum natura doctrinam adumbrandam pertinerent, deinde poeta suo eam exemplo compro-

bavit, unde ad verum totius repraesentationis consilium facillimus aditus patebat. Offensio vero illa, quam argumento parari putant, et poetae arte evitari poterat et profecto Ennii annales alio modulo ac Graecorum vel cultioris aetatis Romanorum scripta metiendi sunt. Quid? quod vel apud Vergilium, annalium frequentissimum imitatorem, ad argumenti molestiam excusandam et opinionem nostram stabiliendam deprehendisse mihi videor ad huius scenae similitudinem efficta ea quae Anchisae umbra in Orco Aeneae aperit libro VI. 723 sq. *Suscipit Anchises atque ordine singula pandit: Principio caelum ac terras camposque liquentis* sq., unde quod versum 748, ad quem Servius satis indefinite *sermo est Ennianus* adscripsit: *Has omnes ubi mille rotam volvere per annos* non integrum Ennio tribuere licet, fortasse tantum negligentiae Servii debetur.

10. Admonitus observatione Donati ad Terentii Adelph. l. l. de syllaba *fi* ut a Terentio ab Ennio h. l. producta, infinitivum *fiere* adscivi ex Incerto de verbo num. 29. (p. 162. ap. Vindob.): „*fieri* nunc dicitur, Ennius tamen in X. annalium *fiere* dixit, non *fieri*.“ Ceterum in scriptura tribus locis commendata ita persistere licet.

11. Quum non statim appareret, utrum apud Persium l. l. *quintus* an *Quintus* probandum esset, fuerunt qui priorem scripturam amplexi quinque corpora ab Homeri anima deinceps occupata Ennium recensuisse statuerent. ac profecto hunc corporum numerum iisdem quidem nominibus nominatorum, quamvis diverse dispositorum exhibent Acro ad Horat. Od. I. 28. „Pythagoras praedicavit, se apud Troiam Euphorbum Panthoi filium fuisse, qui interfectus a Menelao iterum revixit factus Pythagoras idque eum cognovissse agnito clipeo, quem templo Euphorbus fixerat . hic ante et in Homerum dicitur renatus, postea in pavonem, postremo in Ennium poetam“: schol. ad Pers. sat. VI. „Ideo quintus dicit propter eam opinionem quae dicit animam Pythagorae in pavonem translatam, de pavone ad Euphorbum, de Euphorbo ad Homerum, de Homero autem ad Ennium“: Lactantius Placidus ad Stat. Theb. III. 286

„primum enim anima eius in Euphorbum migrasse dicitur, secundo in Pythagorae, tertio in pavonis, quarto in Homeri, quinto in Ennii poetae.“ Horum tamen testium per se admodum vilium, dissensu suo recte suspectorum auctoritate neque Ennio neque Persio quinarium numerum reddere licet. Nempe quum Acro ad Horatii epp. II. 1. 50 *somnia Pythagorea* i. e. Pythagorae e disciplina petita adnotat: „Ennius Pythagorae animam ad se venisse in somnis dicit,“ certe ab hac falsa interpretatione profectus Pythagoram, cui Euphorbus in fabulis adhaerescit, Homero, pavoni, Ennio, quos ibi commemorari satis notum erat, adiecisse et ex vulgari ratione disposuisse putandus est. Item scholiastam Persianum posterioris aetatis hominem (v. infra) ex Persii pavone Pythagoreo eundem in modum perperam intellecto Pythagoram et Euphorbum nactum esse iure videor suspicari: cuius perversam aetatum definitionem nemo opinor ab Ennio profectam iudicabit. Lactantii denique adversarius locuples ipse oboritur Persius, qui si *quintus* intellegi volebat, nullo modo cum Lactantio convenit, si *Quintus*, vix et ne vix quidem cum eo conciliari potest. Itaque hi quidem auctores esse non possunt, Ennium quinque corpora enumerasse Persiumve *quintum* praecepisse, quam scripturam salvis suis opinionibus adeo neminem eorum probare potuisse periculo facto facile videbis. At eum nos quoque seriem illam non a pavone, sed quod multo convenientius erat, ab Homero exorsam voluisse i. e. non de numero, sed de praenomine Ennii, sententiae prorsus apposito, cogitasse persuasum habemus, confirmati praestantiore alius, ut apertum est, auctoris scholio Persiano ad fr. 4 laud. „[Ennius] se dicit vidisse in somnis Homerum dicentem, fuisse se [Hom.] quondam pavonem et ex eo translatam esse animam in se [Ennium]“ et Tertull. de anima XXXII. p. 707 ed. Mign. „Homeri animam in pavonem damnatam esse“ dicente. Itaque ne tantillum quidem causae restat, cur apud Ennium hunce numerum obtinuisse statuamus, quem in aliis de Pythagorae fabulis praevalere non vidimus, vel omnino Pythagorae partes fuisse, cuius cum Homero communionem in

tanta fabularum ubertate nullam indagare potuimus. Praemitti somnio, ad quod certe pertinebat, versiculum ne speciosius quam verius cum CMS statuas, contra Persii versus 10 l. l. modo experrecti eum esse facile persuadet. Lunae igitur portum, quem praeter Persium etiam Silius VIII. 482 et Plinius h. n. III. 5 admirati sunt, visu dignissimum praedicavit, circa quem ipse quondam Homeri colloquio excitatus, augusta regionis natura animo suo commotus, prospectu longe lateque patente — Strabo l. V. „*περικλείεται δ' ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς ἀφ' ὧν τὰ πελάγη κατοπτεύεται καὶ Σαρδὼν καὶ τῆς ἠιόνος ἑκατέρωθεν πολὺ μέρος*“ κ. τ. λ. — de futura Romae magnitudine admonitus res Romanas praeconio suo tollere constituisset. Per somnium in Parnaso se versari opinabatur, ut ad Persii prologum „nec in bicipiti somniasse Parnaso memini, ut repente sic poeta prodirem“ adnotat scholiasta: „tangit autem Ennium, qui dicit se vidisse somniando in Parnaso Homerum sibi dicentem, quod eius anima in suo esset corpore.“ v. Propert. III. 2 „parvaque tam magnis admoram fontibus ora, unde pater sitiens Ennius ipse bibit.“

12. Prisc. p. 274. „Attius in Hecuba: *veter fatorum terminus sic iusserat.*“ Inter frequentem Ennii commemorationem praecipue de Ennianis metonymiis cogitavit opinor Cicero de orat. III. 42. 167. “ex quo genere haec sunt, Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum pro mari, curiam pro senatu, campum pro comitiis, togam pro pace, arma ac tela pro bello.“ — Sic Ennius ad ipsum annalium argumentum videtur transiisse: atque brevissime quidem et in Troiae excidio eum immoratum esse arbitror — vix igitur adscripseris cum Muellero annalibus fragmentum *Ob Troiam duxit* ap. Fest. p. 178. si Ennianum est, facile e tragoedia quadam velut Andromacha, Hecuba, Achille, Hectore petitum — et paucis absolutos esse quum Aeneae ante eius in Latium adventum errores tum deversorium illud apud Didonem, quod inveteratae Romanos inter et Carthaginienses simultatis symbolum iam a Naevio unde pependit Vergilius, repraesentatum esse videre licet e

Servio ad Aen. IIII. 9 „cuius filiae fuerint Anna et Dido Naevius dixit“ et Nonio p. 335 s. liquidum et p. 474 s. percontat: Naevius belli Poenici lib. II. „*Blande et docte percontat Aeneas quo pacto Troiam urbem liquerit*,“ quae admodum probabili coniectura ad *Didonem* referas.

13. Litteram finalem *s* quum voci *Venus* detrahere omissum esset — accidit autem non raro v. fr. 22. 13. 22. 17. ed. Orell., Gell. XII. 14. *compellal Servilius sic* l. *Servilius sic compellat*, Lucretiana exempla ap. Lachm. p. 110. — apud Probum et nomini *Anchises* particula *que* adiecta et alia clausula, ipsa quoque ab Ennio usurpata (v. Claudium Sac. ad fr. 31.) versui data est. Abest particula tum Cynthio Cenetensi tum scholio Veronensi, cui H. Keilius recte Ennii nomen intulit, et extat in eodem genuina versus clausula *pulcerrima divom.* Contra in secundo versu magnopere cavendum est, ne adhaerescentes scripturae in schol. Veron. interpretis manum perpessae, Probi fidei quidquam detrahendo antiquitatis vestigia oblitteremus, cui coniunctivam particulam omissam praecipue placuisse sexcentis exemplis confirmari potest v. Lachm. ad Lucr. p. 80. Koch. l. l. p. 14. — Vaticinio admonitus Anchises Aeneam novam patriam quaerere iubet, ut in Sophocl. Laocoonte ap. Dionys. I. 48. „*πεποίηκε τὸν Αἰνείαν ἀνασκευαζόμενον εἰς τὴν Ἴδην, κελευσθέντα ὑπὸ τοῦ πατρὸς Ἀγχίσου κατὰ τὴν μνήμην, ὧν Ἀφροδίτη ἐπέσκηψεν*“ κ. τ. λ. Verg. Aen. II. 680 sq. al.

14. *Tecum*, non *te cum*, quod quum non vidisset Muellerus, cur Festus hunce versum proferret non assecutus est. Quoniam *orare* pro etymo suo haud raro *loqui*, *agere* significat, (vid. Paulum p. 16 s. adorare, Fest. p. 182 s. oratores, Servium ad Aen. XI. 100. Non. 361. 1), etiam *orare cum aliquo* satis frequenter dicebant, velut Plaut. Cas. II. 5. 15 *negavi ipsi me concessurum Iovi, si is mecum oraret* Pers. I. 3. 17. Rud. III. 4. 68. Terent. Hec. IIII. 4. 64. *Egi atque oravi tecum, uxorem ut duceres.* *Face* pro *fac* supra librariorum captum erat. Verba inter duos versus distribuere praetulimus: quod si poeta noluisset, non *face vero*, sed [*Tu*] *vero*

face quod opinor scripsisset, quod non video cur oblitteratum existimem. — Fr. ad eundem Anchisen spectat eodem munere fungentem.

15. Collatis Vergilii versibus „*Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt, terra antiqua potens armis atque ubere glebae: Oenotri coluere viri*“ Aen. II. 530 sq. probabile est, fragm. 12 et 13 eundem in modum apud Ennium coniuncta fuisse: quibus uno alterove versu interposito regionem, ad quam Aeneas mox adventurus erat, ab ipso poeta significatam esse censeo.

16. Facile est pro *genuere* praesertim Vergilio duce *tenuere* Ennio restituere: at alius restat scrupulus. Quum enim et *Casci* et *Prisci* nunc *populi nomina*, nunc *antiquos* significent, utram in hoc versu provinciam susceperint, admodum ambiguum est. Quamquam ne *prisci Casci, populi Latini* neve *Prisci, casci p. L.* neve *Prisci casci, p. L.* accipiatur, vel inde cavetur, quod et Prisci et Casci populum, non populos efficiunt. *Prisci Casci* vero i. e. *Prisci et Casci* Cicero saltem non probavit (Tuscul. III. 12, Itaque unum illud erat iusitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum sq.) qui etiamsi *Priscos* et *Cascos* voluisset, profecto ex Ennii versu ita intellecto concludere non poterat, *Priscos* ab eo *Cascos* appellatos esse. Restant duae rationes, quae aeque commendari videntur: *Prisci, casci populi, tenuere Latini* i. e. *Prisci et Latini, casci populi* et *prisci casci p. L.* Priscos enim cum Latinis in unam gentem conflatos et *Priscos Latinos* dici solitos antiquitus circa Tiberim consedisse demonstrasse videtur Niebuhrius Vorles. I. p. 105. et eosdem Anci Marcii aetati, qua coloniis nondum deductis non erant, quibus *prisci Latini* opponerentur, in antiqua de iure feciali formula Livium assignare probabile est libr. I. c. 32. Ac poterat profecto Varro in utraque scriptura, *cascum vetus* significare, quodammodo indicatum reperire. Ciceronem quidem nemo negabit, non certam quandam gentem, sed universe *priscos* Latii incolas dicere, quamquam suspicari possis, Priscorum nomine satis memorato et ipsa voce commendato eos

significari. Huic vero rationi quum facilitate sua videatur illa praestare, Ennium *prisci casci* voluisse puto. cf. fragm. ibidem a Varrone servatum: *veteres*, *Casmenae* (pro *casmenas*), *cascas res volo profari.* sic enim probabiliter Scal. et Herm. emendarunt, quamvis obstrepat Grauertus ad Koenii librum p. 277. De asyndeto v. fr. 13 adn.

17. Ex Varrone sumpta sunt, quae habet Annius Viterbiensis, famosus saec. XV. falsarius (Fabr. bibl. lat. I. 2. Nieb. Vorl. I. 143. Wagener fr. Caton. p. 13) in fragm. Catonianis: *a quo Saturno Saturnia olim et ab eo late Saturnia terra.* Haec igitur tantum genuina Ennii verba agnovi; quem tamen montis quoque Saturnii meminisse quum vel Varro videatur significare, eo confidentius cum Lapo et Sylburgio ap. Dionys. I. 34, cuius vel optimis in codd. saepe nomina corrupta sunt „Ἔννιον (non Εὔξενον) τὸν ποιητὴν ἀρχαῖον καὶ ἄλλους τινὰς τῶν Ἰταλικῶν μυθογράφων“ referentes induxi, Saturnio monti ab Herculis comitibus de simillimo Croni, Graecorum Saturni, in Elide colle nomen inditum esse. Εὔξενος enim, de quo ne tantillum quidem traditum est, si Graeciae poeta fuisset, Dionysius neque ἀρχαῖον poterat eum appellare, etiamsi statim post Romanorum famam apud Graecos primum nobilitatam scripsisset, neque Ἰταλικοῖς μυθογράφοις adnumerare. Sin vero in Italia vixisset, in tanta antiquorum poetarum penuria ἀρχαῖος hice ποιητὴς vix oblivione obliteratus esset. Adde quod ita in annales quadrant, quae refert Dionysius, ut ad Dionysii locum nomen Ennii, quem cum mythographis componi posse Vossius hist. gr. l. III. inconsiderate negavit, appositum est: qui Hesperiae nomini aeque alterum de colle Saturno deductum videtur subiunxisse atque Vergilius l. l. pergit: *nunc fama minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

18—21. Colloquio inter Aeneam et Albanum regem, quod tantum non necessario Ennius repraesentaverat, haec fragmenta assignaturus confirmor Aeneae ad Evandrum oratione ap. Verg. VIII. 127—151, ubi et maiores suos inter eosque Atlantem Electrae, quae Dardanum ex Iove pepere-

rat, patrem Aeneas, ut fit apud poetas epicos, enumerat, et versus reperitur iam a Macrobio cum fr. 20 collatus *accipe daque fidem.* Nempe ad Atlantem refero fr. 18. comparatum ap. Macrobium cum Vergilii Aen. IIII. 482. (VI. 798) de eodem Atlante versiculo *axem humero torquet stellis ardentibus aptum*, ad quem hoc quidem Aen. loco pertinent v. 136 *Electram maximus Atlas Edidit, aetherios humero qui sustinet orbes* et v. 141 *Atlas generat, caeli qui sidera tollit.* De eo Ennium fere dixisse: *Atlas, quem perhibent, nos ciemus sum Telamonem* concludas ex Servio ad Aen. I. 741 (IIII. 246) „Atlas graecum est, sicut et Nilus . nam Ennius dicit, *Nilum Melonem* vocari, *Atlantem* vero *Telamonem.* cf. Vitruv. VI. 10. „si qua virili figura signa mutulos aut coronas sustinent, nostri *telamones* appellant — Graeci vero eos ἄτλαντας vocitant.“ v. Paul. p. 7. s. alcedo, p. 18. 5. Alumento. 19. Esto, Aeneam stirpem ab Iove quidem, ut fere ubique (Il. XX. 215. Aen. VII. 219. Georg. III. 35) deduxisse: at liberalius Merula et Spangenb. usque ad Chaos et quattuor elementa recedunt versibus sane obscurissimis, quibus *Enn. in annalibus* praefixum est, abusi: *Corpore tartarino prognata Paluda virago, cui par imber et ignis, spiritus et gravis terra* (v. Probum ad ecl. VI. 31. Varr. de l. l. VII. 37. Fest. p. 359 „Tartarino quum dixit Ennius, horrendo et terribili Verrius vult accipi), quos additis verbis *non genuit* vel *non habet* ad monstrum quoddam velut Furiam, Vergilio fortasse in Alectone effingenda obversatam rettulerim cf. Aen. VII. 328: *Odit et ipse pater Pluton, odere sorores Tartareae monstrum.* 20. Scriptura *foedus* male a M et S. temptata est, adhibito Varrone de l. l. V. 86 „*foedus* quod *fidus* Ennius scribit dictum,“ qui si poeta Ennius est, de foedere quodam fide observando aliquo loco locutus etymon vocis advocavit; sin grammaticus ille a Suetonio de illustr. gramm. C. 1. memoratus, qui ap. Charis. p. 76 „*erumnam* Ennius ait per *e* solum scribi posse“ et in anecdoto Parisino (Bergkii diurn. antiq. 1845. No. 15) dicitur, praeceptum eius ad poetam Ennium attinere, non licet concludere. v. Schneid. lat. gramm.

I. 82. 21. Ne qua ad Tulli Hostilii cum Fufetio in l. II. colloquium versiculum referas, Livius I. 23 et Dionysius I. 5, Fufetium non regem Albanorum, sed rege Cluilio mortuo dictatorem bello gerundo praefectum fuisse consentientes memoriae produnt.

22. Narratio de Aeneae iu Latium adventu neque ab historiae fide profecta neque adulatione Graeculorum inventa est: sed memoria religiose servata antiquissimae cuiusdam rerum divinarum communionis inter Troianae et Romanae gentis initia induit huius fabulae speciem, postquam per aetatem nulladum temporum computatione illustratam Aeneae nomen via alias definienda (cf. O. Muellerum classical journ. vol. 26. a. 1822. Bamberger. mus. rhen. vol. VI. a. 1838) Romam perlatum est. Itaque facile animo praeceperis, non multas hominum aetates inter Aeneam et urbis suae conditores interpositas, sed admodum contiguam eorum propinquitatem priscis Romanis placuisse. atque profecto Naevius et Ennius poetae, popularis famae conservatores, Romulum et Remum nepotes Aeneae induxerunt, quod Servius testatur ad Aen. I. 273. „Naevius et Ennius *Aeneae ex filia nepotem Romulum* conditorem urbis tradunt“ et ad Aen. VI. 778 „dicit namque [Ennius] *Iliam fuisse filiam Aeneae*, quod si est, *Aeneas est avus Romuli*“: atque confirmant hoc fr. 22. 3. 10. 13. 24. 27, quibus inde rursus lux affunditur. Cui opinioni antiquitate non praestant aliae quae de Romulo et Remo filiis Aeneae feruntur fabulae: namque praeterquam quod hae non satis locupletibus ap. Dionysium testibus debentur, certe antiquissima sunt, quae de Marte puerorum patre traduntur — lupa enim Marti sacra iam circa medium quintum saeculum in lupae puerorum quondam nutricis memoriam aere publice constituta est. v. Liv. X. 23. Dion. I. 79. Muell. archaeol. §. 172. 3. b. — adeo hac ipsa, uti videtur, de Aeneae adventu fabula antiquiora, in quam procul dubio narrationes per vetus Latium vulgatae recipiebantur. Ea vero fama, ex qua Ennius non multo ante Romae originem, circiter in 890. a. Chr. annum relatam, Troiae excidium statuebat (v. fr. 44.

cum adn.) quum exactiori temporum definitioni male conveniret, non ita recenti aetate, collatis opinor similibus vicinorum oppidorum fabulis, narrari coeptum est, ab Aenea Lavinium, ab Ascanio Albam Longam et post nonnulla demum saecula Romam a Romulo, non ita propinqua Aeneae subole, conditam esse. Contra Ennio auctore Aeneas ad Laurentem agrum advectus (fr. 59) fortasse inter discrimina quaedam protinus Albam Longam iam diu conditam videtur petiisse: nam in tanta temporis ab eius adventu usque ad Romam conditam exiguitate Lavinii aedificatio, ad quam fr. 50. inepte rettulerunt, et Albae Longae origo iam Tullo Hostilio rege, ut in secundo annalium libro narrabatur, eversae vix ab Aeneadis repetebatur, quod Merula versu e subditicio Fornerii lexico prolato *armis conditur Alba potens* (Sp. p. 9. v. Aen. II. 531) frustra probare conatur. Quum vero Aeneae et filiae eius domicilium requiratur, recentiorem, secundum quam Reae Silviae fata item Albae Longae eveniunt, narrationem secutus certe antiquiori accommodatam et fragmento 21. advocato facile eandem Albam sedem iis adsignaveris. Quo quum advenisset, nescio an armorum post discrimina amicitiam cum rege Albano coniungit, filiam eius ex more in his fabulis usitatissimo in matrimonium ducit, regnum subit, post mortem inter deos refertur v. Servium ad Aen. VI. 778: „[Romulus] secundum Ennium refertur inter deos cum Aenea“. Habebat idem ex Eurudica quadam (22. 3. 7. 13), teste Pausania X. 26. 1. etiam apud Leschen et in Cypriis carminibus Aeneae coniuncta, fortasse ignobilioris stirpis femina, alteram filiam aetate provectiorem (22. 1) servili quadam quamvis admodum familiari conditione familiae adstrictam, cui Ilia ingenua filia, ipso nomine indicante ex Troiana uxore suscepta, hocce somnium enarrat. Ilia, ne pareret, a tyranno quodam vestalis facta (Cic. de divin. I. 20. 40. ad fr. 22.) quum geminos a Marte conceptos partu edidisset, cum prole sua exitio datur. Quem tyrannum Amulium perpetuo quasi per Latium et Siciliam adversariorum obnitentium (*aemulus*) nomine dictum (cf. Clausen. Aen. et Penates p. 573) et Aeneae

ex Albana coniuge filium fuisse censeo, non quidem Aurelii Vict. de or. gent. rom. c. 5 „Amulius rex imperavit, gemellos in Tiberim abiici, ut scribunt Ennius libro primo et Caesar“ fidei addictus, quae nulla est, neque Hermanni El. doctr. metr. p. 631 et Niebuhrii ratione Naeviano tertii libri belli Punici fragmento ap. Non. p. 116 s. gratulari eiusdem Amulii nomen inferentium satis confidere ausus. Simulatque vero in vulgari ap. Dion. I. 65. 70 et Vergil. Aen. I. 267, VI. 763 fabula aetates inter Aeneam et Amulium consulto intercalatas exemeris, in locum Silvii, Aeneae ex Latina coniuge filii, Amulius succedit. Deinde ap. Paulum Diac. p. 23 referentem, gentem Aemiliam Scipioni Africano, Ennii familiari, affinitate coniunctam ab Aemilo sive Aemylo, Ascanii filio, nomen deduxisse et apud Silium Ital. VIII. 2 Amulium eiusdem gentis auctorem nominantem genealogiae vestigia habemus a nostra opinione non multum diversae, quum praesertim nomen Ascanii semel saepius iniuria stemmatis superadiectum esse sciamus. Denique apud Apollodorum Geloum, ut Niebuhrius censet, comicum, Menandri aequalem, qui in Euxenide „Aenea et Lavinia natos *Mayllen*, *Mulum* Rhomumque atque ab Rhomo urbi tractum nomen“ perhibebat (Fest. p. 266), in voce *Mulum* Amulii nomen latitare inde colligitur, quod collatis Plutarchi Rom. c. 2 verbis, „*Αἰμυλίαν τὴν Αἰνείου καὶ Λαβινίας*“ in voce *Maylle* Aemyliae nomen deprehenditur. Quare Porphyrio ad Horatii Od. I. 2. 18 „Ilia auctore Ennio in amnem Tiberim iussu Amulii regis praecipitata est“ non amplius licet fidem denegare, cuius testimonio tantum addendum est, Aeneae filium, (non nepotem, ut Clausenius, qui haec omnia prorsus confundit, sine ulla causa statuit), Amulium fuisse. Qui quum ipse ex Latina matre oriundus secundum antiquam famam Iliae, utpote peregrinae, gentem persequeretur, postquam multis aetatibus inter Aeneam et Amulium interpositis stirpium illa diversitas sublata est, in sororem suam, cuius penes subolem nullum regnandi ius erat, non amplius atrociter saevire poterat. Itaque quum Numitor, quem Ennius ne memorasse quidem videtur (fr. 42 adn.) in Iliae pa-

tris partes cessisset, ab Aeneae filio, quem antiqua fabula prodebat et facilius quidem quam ab eius nepote Amulii nomen in minorem Numitoris fratrem regni affectatione novam discordiae causam parantem transferre in promptu erat, quum praesertim paullo post Romulus et Remus simile duorum fratrum de imperio discordantium exemplum exhiberent.

23. De pronomine *ibus*, quod saepe oblitteratum est, cf. Non. 486. 14. Lachm. ad Lucr. p. 262. *Latrones* satellites mercede conductos appellari tradunt Varro de l. l. VII. 52. Serv. Aen. XII. 7. Paul. p. 118. H. l. »Amulii sunt pueros recens natos undis tradi iubentis.

24. Ad hexametrum qui non integer apud Non. extat resarciendum verbis *et genetrix p. n.* alteram Veneris appellationem adiicere visum est. Saturniam *sanctam dearum* ab Ennio appellari infra videbimus. De scriptura *genetrix* et contra *genitalibus* fr. 55. cf. Lachm. l. l. p. 15. — Ceterum *genetrix patris nostri* et *cognata* versus Iliae recte tribui satis ostendunt.

25—27. Ad Horatium Coclitem, qui quarto demum libro memorari poterat, fr. 25 velocius quam verius rettulit Niebuhrius h. r. I. 349 adhibito Livio II. 10 „Tum Cocles: Tiberine pater, inquit, te sancte precor haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.“ At et solemne erat teste Servio Aen. VIII. 72 *adesto Tiberine cum tuis undis* in precibus vocare et Iliam potissimum recte poeta ita supplicantem induxit. Ea filiis ereptis, supplicio sibi ipsi indicto, certe alios quoque superum et maxime quidem Martem, aerumnarum auctorem, invocavit, qui ipse (fr. 26) cum Venere (fr. 27) aeque mox pro Ilia et pueris apud Iovem precatura in eius consolationem accedit. Vestalem modo vitiatam apud Dionysium quoque Deus consolatur I. 77. ut Odyss. XI. 248 Tyronem Salmonei filiam Poseidon.

28—33. Gradivus Romulum ad superos evecturus ap. Ovid. Met. l. l. praesente deorum concilio Iovem sibi quondam polliceri meminit: *Unus erit, quem tu tolles in caerula caeli*, qui versus ut ex Varr. l. l. intellegitur, Ennii est. Ab eo vero ipsum concilium repraesentatum esse tum haece fragm.

indicant, tum vix potest probabile videri, deorum conventu quodam a Marte apud Ennium memorato, sed splendida eius descriptione in mentibus haerente et Ovidium illa protulisse et Horatium! od. III. 3 *Quirinus Martis equis Acheronta fugit, gratum elocuta consiliantibus Iunone divis.* Adde quod facile poetae vel Venus illa Naevii Aeneae apud Iovem partes agens — praeiverat enim ille, ut testatur Macrobius Sat. VI. 2, Vergilio I. 225 sq., qui ipse quoque libro X. deos consiliantes inducit — vel dii apud Homerum Iovem pro caris suis adeuntes vel maxime deorum illa de Ulixe deliberatio (Odyss. I.) obversabatur: unde Athenae illa: *ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων* versu *o genitor noster Saturnie maxime divom*, cuius auctorem Priscianus non indicat, audeo ita ab Ennio ad verbum translata habere, ut idem *δούπησεν δὲ πεσὼν ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ* libro XVI. reddidit: *concidit et sonitum simul insuper arma dederunt* (Macr. Sat. VI. 1) et ne alia excitem, Iliadis illa (VI. 506 sq.) *ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ κ. τ. λ.* verbum de verbo expressit v. Macrob. sat. VI. 2. Adiectivo vero *alter* in fastorum disticho laudato: *redde patri natum; quamvis intercidit alter, pro se proque Remo, qui mihi restat erit* admonitus recte existimaveris in fr. 33. probabiliter ad hanc deliberationem referendo ad verba „*unus erit*“ „*e duobus natis*“ animo adiicienda ideoque eam ipsam in tempus relegandam esse, ubi neutriusdum de sorte actum erat i. e. saltem ante Remi interitum. Ita autem nusquam poeta Venerem ac Martem in deorum concione, qua prodigia mox eventura egregie praeparantur, pro clientibus suis deprecantes felicius inducere poterat quam in hoc summo eorum discrimine. Singuli quidem versus quorum sint, ambiguum est. Probabiliter tamen *constitit inde loci* sq. et *o genitor noster* sq. Veneri, *effudit voces* sq. et certe quidem *unus erit* sq. Iovi tribueris. Cf. ad fr. 28. quae ad fr. 55 disputantur, ad fr. 29 cf. Ennium ap. Fest. p. 116 *inde loci lituus sonitus effudit acutos* Lucret. V. 790 [*natura*] *inde loci mortalia saecla creavit*, Adelph. II. 1. 15 *Hic pro-*

pter hunc adsiste. Ad fr. 33. Aen. I, 258 *cernes* [*Venus*] *urbem et promissa Lavini Moenia sublimemque feres ad sidera caeli Magnanimum Aeneam.*

34. *Reddita nuptum* i. e. Fluvio Ilia ex eodem deorum decreto est, sive deorum concioni hemistichium inserere sive adiectis fortasse *(ut Ilia reddita nuptum) Fluvio undas tetigit* hunc ea fere comiter exceptae acclamasse statuere mavis, quae habet Ovidius Am. III. 6. 16 *Ilia pone metus: tibi regia nostra patebit, Teque colent amnes: Ilia pone metus.* Nempe *nuptum* tantum supinum esse potest e voce *reddita* suspensum. Male Spangenb. *novum sponsum* intellexit. *Novus nuptus* in Plaut. Cas. V. 1. 6 est vir sub specie feminae in ludicris nuptiis ductus.

35. Recte I. Beckerus (Bergk. diurn. a. 1849. n. 42) e Cicerone salutem petivit: nam non credibile est, binis vocibus spondiacis *(omnium princeps* v. Koch. p. 1.) Ennium unquam hexametrum clausisse. Idem vero quum secundi initium *qui subcaeruleus* constituit, praeterquam quod huius adiectivi nemo praeter Celsum auctor est, praestare videtur e voce *omnibus* quam iterum e nom. *fluvius* enunciatum relativum suspendere hunc fere in modum conceptum: *qui sub caeruleo caelo sua flumina volvunt.* Ceterum hic versus recte de Tiberi iam subsidere incipiente (*consistit*) accipitur. Quo tempore quum rectissime *undae campos deserere et intra ripas remanare* dicantur, fragm. apud Festum non potest huic non adiungendum videri: in eo ex Festi lemmate *remanant, reptent* (l. *repetunt*, Paul. *repetant*) restitui *remanant* (contraria via ap. Paulum tentata, prorsus alia vox ab aliis temere illata est). Quod verbum quum tantum non necessario ad undas campos deserentes atque intra ripas refluentes pertineat, in Festi *rivos camposque remanant* verba transponere et *ripas* exhibere non dubitavi. *Desunt* facile ex *deque serunt* oriebatur, habet enim Ennius *de me hortatur* ap. Gell. VII. 2 et Non. 195. 20 et *deque totondit agros*, quod ap. Prisc. 462 pro *et detotondit agros* restituendum est. Undae denique,

qua voce inserta versum redintegravi, proximo verbo videntur absorptae esse.

36. Vergilius Aen. VIII. 630. sq.

fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
procubuisse lupam : geminos huic ubera circum
ludere pendentes pueros et lambere matrem
impavidos: illam tereti cervice reflexam
mulcere alternos et corpora fingere lingua.

ad quae Servius *Hic totus locus Ennianus* adnotat. Vide fr. 5. adn. Ovid. fast. II. 413 sq. „venit ad expositos, mirum, lupa foeta gemellos sq.“ — Serv. ad Aen. I. 52 sciendum est *fetam* dici et gravidam et partu liberatam.

37. Clamore excita lupa oculos a pueris attollit, quae contra ipsam parantur a pastoribus conspicit, fuga silvam petit. Corrupto *praemens* praestantior medicina quam Scaligeri *permensa* vix invenitur. v. Enn. ap. Fest. p. 298 *Sed sola terrarum postquam permensa parumper.* non admodum feliciter idem alias *praesto isse* tentabat. Quare neque *in campo* intemptata relinquere neque secundum versum e verbo *conspicit* suspensum facere licebat. adde quod abruptae orationis membra sententiae conveniunt et Lachmannus languenti *omnis* recte omnia i. e. feram fugandi tentamina ad Lucr. p. 73 videtur substituisse. Ceterum fateor nobiliorem Dionysii esse ex Fabio narrationem (I. 79) „ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόδῳ, ἀλλ' ὥσπερ ἂν χειροήθης ἀποστᾶσα τῶν βρεφῶν ἠρέμα καὶ κατὰ πολλὴν ἀλογίαν τοῦ ποιμενικοῦ ὁμίλου ἀπῄει“ cf. quae ibidem sequuntur.

38. *Dulciferae fici* fructus sunt, si Charisio credimus, quamquam arborem sententiae convenire (*sub umbra*, *sub tegmine*) facile animum induxeris . sed possunt illi quoque dicti esse velut *conspexere sub arbore eos, quam multae onerabant Dulciferae fici, lactantes ubere toto*, modone cum M, quem S. ut solet temere assectatur, interpreteris: „ipsarum ficuum, quas in cibum lupa converterat, succus lactat infantes (!).“

39. Falsa ratione utuntur, qui voce *pars* in superiorem versum relegata, verborum *saxa iactant* transpositione versum

efficiunt *Ludicre iactant saxa*, *inter se licitantur*, quum post *saxa* necessario incidendum sit, aequas in duas partes foede discissum, quamquam ne id quidem versuum genus a rudiore Ennii arte prorsus afuit. Immo *ludicre saxa* transponas: quo facto quum plus uno modo secunda versus pars resarciri possit (*inter sese* vel *aut inter* vel *alii inter* scribendo), tamen si v. *pars* secundo versui inserueris, et superioris clausulam difficultate liberabis et lacunam commodissime explebis: quod quum perperam ad verba quae praecedunt relatum esset, genuinus verborum ordo facile turbabatur. — Pueri apud pastores pastoralibus ludis indulgent. v. quae leguntur ap. Ovid. fast. II. 367. *caestibus et iaculis et missi pondere saxi Brachia per lusus experienda dabant.* Ceterum Faustulum, Accae Larentiae maritum, Ennio auctore Amulii pastoribus praefectum fuisse praeter Aurelium Vict. de or. g. r. nemo tradidit.

40. Iidem alios pastores latrocinantes, secure congregatos et expeditionis eventum inter se memorantes, adgrediuntur cf. Liv. I. 4. „iam non feras tantum subsistere, sed in latrones praeda onustos impetus facere pastoribusque rapta dividere.“ De *mititantibus mercede conductis*, ut placet Nonio, cuius ingenium novimus, vix sermo esse poterat.

41. Ad eundem impetum satis appositum est hoc fr. V. Aen. III. 55 „Polydorum obtruncat et auro Vi potitur.“ de v. *potiri* cum acc. Non. s. v. p. 481. 25. quod quum ignoraret Merula, Fornerii lexicon cum Livii l. l. consentire placuit.

42. Ad Amulium ducitur Remus a pastoribus captus, quorum dominum Numitorem apud Ennium fuisse neque traditum neque credibile est, quoniam ea in fabula, quae Aeneam Iliae patrem inducebat, Numitori nullae fere partes relictae erant cf. Clausen. l. l. p. 592. Quare non tradit Amulius Remum Numitori, sed ipse de eo iudicium facturus est: at Romulus, suum fratrisque ortum edoctus, manu collecta accelerare; graviter in regem invehi, non decere hominis infimi instar in iudicium raptatum increpari (huc referas fragm.) ipsum imperii compotem, fratrem liberare. Paullo post novam urbem condituros eos invenimus.

43. 5. 6. Quum vulgo narratur, Romulum in Palatino et Remum in Aventino auguria cepisse, apud Ennium contra, cui eandem narrationem obtrudere perperam tentatum est, certamine de urbis condendae situ, nomine, regno ad auguria delato, Romulus in Aventino aves observat, in quo monte Remus spectaverit, fragmentis non traditum est. Quem tamen Palatinum fuisse, quo in faustissimo colle Ennio quoque auctore Romulus urbem aedificabat, non credibile est: immo ideo in Aventino Romulus potest spectare, quamquam in Palatino urbem aedificaturus erat (conveniunt autem cum hac fabula egregie, quae habet Servius ad Aen. III. 46. „Romulus captato augurio hastam de Aventino monte in Palatinum iecit, quae fixa fronduit et arborem fecit“ cf. Ovid. Met. XV. 560), quod remotiorem collem Remus muniturus erat et templum in augurando ceperat. Indicant hunc locum Dionysius Hal. I. 85 „*τὸ χωρίον, ἔνθα ἔμελλον ἱδρύσειν τὴν πόλιν οὐ τὸ αὐτὸ ἤρεῖτο ἑκάτερος· Ῥωμύλου μὲν γὰρ ἦν γνώμη τὸ Παλάντιον οἰκίζειν . . Ῥώμῳ δ' ἐδόκει τὴν καλουμένην νῦν ἀπ' ἐκείνου Ῥωμορίαν οἰκίζειν· ἔστι δὲ τὸ χωρίον ἐπιτήδειον ἐπιδέξασθαι πόλιν, λόφος οὐ πρόσω τοῦ Τιβέριος κείμενος, ἀπέχων τῆς Ῥώμης ἀμφὶ τοὺς τριάκοντα σταδίους*; Stephanus Byz. s. v. *Ῥεμούρια πόλις πλησίον τῆς Ῥώμης*,“ Paulus Diac. p. 276. „*Remurinus* ager dictus quia possessus est a *Remo* sq. Quare scripturam *Romam Remoramne* libris commendatam (v. Orell. ed.) versui sexto inferendam esse non est quod dubitetur. Atque profecto credit Niebuhrius h. r. I. p. 228 eo in loco — in monte Sancti Pauli — quondam urbem sitam fuisse . quae quum iam antiquissimo tempore diruta esset, antiqua tamen fama, cui Ennius assentitur, priscae illius regni Romani aemulae memoriam adeo conservabat, ut Remum fratris sui aemulum hanc regionem munituram faceret, nisi Romuli consilio auguria favissent. Quo tempore vero in Aventinum, ipsa loci natura situque infaustum, plebeiorum sedem maxime periculosam infaustissima quaeque transferebantur, Remi quoque auguria et ominosum Remoriae nomen (cf. Blumium Einl. i. d. r. Gesch. p. 189. adn., p.

182) in eum delata sunt cf. Paulum Diac. l. l. „Sed et locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.“ Ceterum in propatulo est, hanc fabulae speciem prae vulgari fama Romulo favere: nam neque sex vultures, quos aliis auctoribus Remus conspicit, neque Romuli fraudem (Dion. I. 86) memorata esse hocce fragmentum patitur.

43. 11. 18. *Infit o cives* Ennius ap. Prisc. 492. *Noenum* (*non enim* codd.) *rumores ponébat ante salutem* ap. Cic. Cat. Mai. 4. 10. Off. I. 24. 84. cf. Lachm. l. l. p. 150. *clámor ad caelum* (ita Flor. cod.) ap. Varr. VII. 104. cf. tamen Lachm. p. 424 et Quintil. I. 4. 13. Immo *iamque fere pulvis | ad caelum vasta videtur* ap. Non. 217. 11 (de vocc. *pulvis* et *sanguis* cf. Lachm. p. 59) et huius fragmenti v. 11 *sic exspectabat populus | atque ora tenebat.* quo novum exemplum accedere censeo versu 18. *praepetibus | hilares*: nam neque haec syllabae *bus* ante *h* litteram mensura, neque ipsa vox *hilares* librarii versum resarciendi studium sapit: contra qua ratione genetivus *avium* interpretationis gratia adiici et deinde in versum recipi potuerit, facile assequimur.

43. 13 cf. Ennium ap. Prisc. 196 *Interea fugit albus iubar Huperionis cursum.*

43. 17. Male CMS verborum ordine, qui in codd. obtinet, temerato primam syllabam in *quatuor* corripuerunt cf. Schneid. gramm. lat. I. 446. Consonantis potestatem adepta est lit. *u*, ut in illo obscuro Ennii ap. Charis. p. 114. *iamque fere quattuor partum* (pro genet. *partium*), ubi de *quattuor vigiliis*, quam vocem metrum respuebat, cogitandum esse credo.

43. 20. cf. Fest. p. 298. „Solum terram. Ennius l. III. *Tarquinio dedit imperium simul et sola regni* et alibi: *sed sola terrarum postquam permensa parumper.*

44. Quum liber primus annalium, in quo hi versus extabant, 190. fere a. Chr. anno scriptus sit, ex Ennii opinione Roma 890. fere a. Chr. anno i. e. 136 annis ante tempus a Varrone definitum condita est. Qua in ratione satis memorabili illustranda quum editores nihil profecissent, primus Niebuhrius duplici via verum invenire conatus est: qua-

rum tamen neutram ingredi licet. Quominus enim de cyclicis sive denorum mensium annis cogitemus, ab urbis aedificatione vulgo credita numeratis, praeterquam quod ne 700 cyclici quidem i. e. 583 vulgares anni et 4 menses temporis spatium inde ab anno 754. usque ad 190. (non ad 172. ut Niebuhrio visum est, annum, quo Ennius ultimum annalium librum conscripsit) satis exaequant, maxime prohibemur, quod nemo tunc temporis, minime vero Ennius hanc computandi viam ingressus est, quem annum naturalem 366 dierum statuisse Censorini de die nat. p. 57. 12 ed. O. Jahn. beneficio raro casu compertum habemus. Altera vero ratio, quae ne ipsa quidem Ennii calculo satis convenit, ex computatione non inusitata, de qua infra videbimus, inter Troiam eversam et Romam conditam 333 annos ab Ennio numeratos esse, eo prorsus evertitur, quod idem Ennius Romulum et Remum nepotes Aeneae esse statuerat. cf. Ritter. in nov. mus. rhen. II. p. 481 sq. Atque profecto neque aliud artificium circumspiciendum neque contra Varronis auctoritatem in verbis quidquam mutandum est, ut vulgaris Romae annus natalis, quo nihil fere incertius est, tempori supra exputato apud Ennium substituatur, quem hac in ratione multis aliis cum testimoniis optime conspirantem inveniemus. Quod enim Naevio auctore nepotes Aeneae, cuius apud Didonem deversorium iam repraesentatum erat (v. fr. 12. comment.), urbem Romam condidere, ab ipso quoque Naevio eas res in nonum, cui Dido assignari solebat, a. Chr. saeculum relatas esse facile credideris, praesertim quum teste Dionysio I. 74 Timaeus, quem vicinae Siciliae incolam semel saepius popularis Italorum famae conservatorem reperimus, Romam una cum Carthagine 38. ante Olympiadum initium i. e. 814. a. Chr. anno conditam esse existimaret. Hac Naevii a narratione quum Vergilius profectus esset, Graecorum calculo obsecutus Troiae excidium atque Carthaginis originem, quam aliae fabulae in antiquissimam aetatem relegabant (cf. Heynii exc. I. ad Aen. IIII.) XII. saeculo vindicavit et ab Aeneae adventu usque ad Romulum trecentis triginta tribus annis numeratis urbis aedificationi medium no-

num saeculum assignavit. Eiusdem rationis vestigia fortasse agnoscenda sunt apud Livium I. 29.“ unaque hora (Tullo rege) quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio et ruinis dedit“ et apud Iustinum I. 43. 1 „in locum eius (Aeneae) Ascanius filius successit, qui Lavinio relicto Longam Albam condidit, quae trecentis annis caput regni fuit.“ Quid? quod vel ii, qui ab urbe per Gallos incensa usque ad incendium Nerone imperatore coortum (817. ann. Varr.) tot annos menses diesque quot inter urbem conditam et Gallorum incursionem numerabant, Romae originem aeque in medium nonum saeculum rettulerunt. cf. Tac. ann. XV. 41. Denique ab eadem Troiae excisae et ortae Romae temporum confinitate, vix unquam nono saeculo recentiore habita, profecti videntur esse, qui vera Troiae aetate cognita Romae incunabula in XII. saeculum relegabant: unde a nonnullis quidem ad duplicem urbis aedificationem statuendam facile processum est. Huic tamen opinioni etiam Fabium et Cincium deditos fuisse velocius ex Dionysio conclusum iveris cf. Ritter. l. l. p. 486. Qui postquam capite 73. libri primi non omnes, sed eos tantum veteres Romanorum originum scriptores, ignobiliores, uti videtur, significavit, qui urbem bis conditam esse arbitrarentur, missis eorum commentis (*περὶ μὲν οὖν τῶν παλαιῶν κτίσεων ἱκανὰ ἡγοῦμαι τὰ προειρημένα*) capite 74 (*τὸν δὲ τελευταῖον τῆς Ῥώμης γενόμενον οἰκισμὸν ἢ κτίσιν . . Λεύκιος Κίγκιος . . περὶ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς δωδεκάτης Ὀλυμπιάδος „Κοΐντιος δὲ Φάβιος κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης ὀλυμπιάδος“* (haec verba in optimis Dionysii codd. adiecta sunt) [*γενέσθαι φησίν*]. *Κάτων δὲ Πόρκιος ἔτεσιν ἀποφαίνει δυσὶ καὶ τριάκοντα καὶ τετρακοσίοις ὑστεροῦσαν τῶν Ἰλιακῶν*), non ad alteram quandam praeter priorem a Cincio et Fabio probatam, sed ad postremam, de qua proditum sit, a Fabio et Cincio et Catone ut a se ipso pro sola habitam urbis aedificationem transitum facit. Quod si minus ita esset, eodem iure etiam Catonem urbem bis esse conditam voluisse statuendum erat. Itaque iam ante Catonem Fabius, quem Dionysius et alias cum eo componit et ipse praecipue sequi-

tur (I. 79), omissa fabula de Romulo nepote Aeneae ferri solita, ingentem illum inter Troiam et Romam hiatum Albanorum quorundam regum ab Aenea descendentium imperio supplevisse videtur, quamvis nondum nominibus illis distincto, quae post Catonem demum inventa sunt. Accedit quod apud eundem Fabium Aeneae partes iam ita ad Numitorem delatae sunt (v. comment. ad Fragm. 22 et 42), ut eo auctore prioris alicuius Romae conditoribus propinquiorem cum Aenea cognationem intercessisse vix probabile sit. Quare Fabii narratio ab ea, quae postea ferebatur, non multum diversa videtur fuisse: iuxta quam 20 fere annis antiquiorem fabulam Ennium poetam, popularem famam secutum, suam protulisse non est quod offendamus, quum praesertim eiusdem rationis multo recentiora vestigia deprehenderimus, et Albanum illud regnum profecto perpauca, quae poetae consilia convenirent, suppeditasse videatur.

45. *Iuppiter* exclamantis est Remi. Qui quum murum per ludibrium transiluisset, ilico ab irato fratre occiditur cf. fr. 46. In versu restituendo O. Muellerum suppl. adnot. ad Fest. p. 400 secuti sumus, quem conferas. Huc revocat Sp. nescio quid somnians de comparatione inter Romulum et Iovem munimenta extruentes instituta Nonii p. 216. 28. „Ennius. *cum suo obsidio magnus Titanum premebat*“: quae nos advocato Lactantio I. c. 14. „Ennius in Euhemero: *Iuppiter venit cum magna Cretensium multitudine Titanumque ac filios eius vicit*“ in Euhemerum Ennii nostra e sententia tetrametris troch. cat. compositum referimus, accusativo *Titanum* non attemptato ita fere emendata: *cum sis obsidió premebat mágnus Titanúm* [Iovis. nom. v. fr. 28.]

46. Neque Columnae explicatio *si ne tu quidem impune facis* e verbis depromi potest, neque *nisi tu*, quoad quidem *impune* significat *sine poena*, *praeter te* esse sententia patitur. Proposuit igitur Merula p. 221 *neque tu*: at ne id quidem potest placere. Immo nihil mutandum, sed vera interpretatio coniunctione verborum *impune animatus* i. e. *ἀκόλαστος φρενῶν* efficienda est. Nam uti impunitate facile

impudentia gignitur, in Lucilii illo apud Nonium p. 129. 28. (et 167. 20): „*homo impuratus et impuno est rapister*“ *impuno*, quae eadem fere vox atque *impune* est, *impudentem*, ut adnotat Nonius, significat.

47. Male editores *virgine*' littera *s* post longam vocalem abiecta exhibuerunt, neque *virg'nes* docente Lachmanno p. 412 probari potest . ac facile oriebatur pluralis *virgines* ex coniunctione primi et ultimi in versu vocabulorum, sed ea minime probanda, quoniam Catullo antiquiores semper ante „*nam*“ incidebant et Verrio Flacco *sas* h. l. *eas* significare existimanti prae viliore Festo fides habenda est. cf. Lachm. l. l. Scribas igitur *virginis* vel *virgine*, quae vox quo connexu superiori versui adiuncta fuerit, exputari nequit, quamvis ad Sabinarum raptum ea pertinuisse videantur.

48. Grammaticorum fides auctori ad Herennium non postponenda est: namque praeterquam quod facili opera pro elegantiore habitum, ut observasse mihi videor, versum procudere Ennius vix sprevisset, Ciceronianae homo aetatis, qua Enniani versus hominum in oribus erant, facile memoriae confidere poterat — quod Cicero ipse semel saepius fecit et Brut. c. 15. ipse fatetur — at grammaticorum illorum erat librorum pervestigationi addictos esse. — Pugna inter Romanos et Sabinos atroci coorta raptae inter fletus et vociferationes aliae coniuges, patres, cognatos, Hersilia, Romuli uxor, T. Tatium regem, patrem suum, petit et acerba oratione (fr. 49—53) increpat, quod cognatorum sanguinem fundendo facta infecta reddere et cum Romulo, cui priora sorte data sint, de summo imperio certare audeat . denique ad pacem eius animo inflexo, deorum comprecationem addit.

50. Male Sp. praeeunte Merula: „in Alba condenda sues stulti vehementissime pugnantes omen dedere, urbem fore potentem et validam.“ Sententiam assecutus est Columna: „similitudo a suibus sumpta, qua inepta aliqua pugna significatur.“ Hersiliae iam Kochius versum tribuit.

51. Festi verbis non probe consideratis Scaliger: *Ast te, non Tatium.*

53. Gellius XIII. 22 testatur, a nominativo *Nerio*, qui in veterum libris sit, nisi quod Varro senarium vocativo *Nerienes* exordiatur, *Nerienem* ut a nominativo *Anio Anienem* descendere. At mediae quidem litterae *e* correptae unum exemplum protulit in senario Licinii Imbricis *Nolo ego Neaere te vocent, sed Nerienem* . primae vero syllabae productae certum vestigium nullum extat. contra etiam in cognato nomine *Nero* prima syllaba semper corripitur. Quare non iudicaverim cum Gellio Ennium h. l. primam syllabam iutendisse, tertiam corripuisse, sed novum exemplum litterae *i* pinguescentis agnosco. Corruptae ap. Gellium versus clausulae rectissime Meursius exerc. crit. P. II. III. 6 salutem petiit e Paulo p. 100. „Herem Marteam antiqui accepta hereditate colebant . . et esse una ex Martis comitibus putabatur.“ cf. Muell. adnot. In versu suam in sedem referendo ducem licet sequi Cn. Gellium (apud A. Gellium XIII. 22. 13) cuius in annali tertio scriptum erat „Hersiliam cum apud Titum Tatium verba faceret pacemque oraret ita precatam esse: Neria Martis, te obsecro pacem dare, ut liceat nuptiis propriis et prosperis uti, quod de tui coniugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi et suis posteris patriae pararent.“ De Neriene conferendi sunt Clausenius l. l. p. 746 et Hartungius rel. rom. II. p. 245.

54—57. Non inveni fragmenta, quae idoneam ob causam ad res rege Romulo domi bellique gestas referrentur: quamquam eo spectant, quae memoriae prodidere Varro de l. l. V. 55 *ager Romanus primum divisus in parteis tris, a quo tribus appellata Tatiensium, Ramnium, Lucerum : nominatae, ut ait Ennius, Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres, ut Iunius, a Lucumone* et Servius Georg. II. 384. *Romulus quum aedificaret Iovis* (Feretrii post Acronem Caeninensium regem caesum Liv. I. 10 an Statoris post pugnam cum Sabinis commissam Liv. I. 12?) *pelles unctas stravit et sic ludos edidit, ut et caestibus dimicarent et cursu contenderent, quam rem Ennius in annalibus testatur.* Eo pertinet vox, ut videtur, Enniana apud Paulum p. 35 *bellicre-*

pam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant, quod a Romulo institutum est, et fortasse Servius ad Aen. III. 384. in annalibus (Ennii?) legitur: *confricati oleo lentati paratique ad arma* l. f. *confrictique oleo lentati et ad arma parati.* — Immortalibus autem operibus inter homines editis Ennio quoque auctore e mediis civibus suis in caelum abreptus est: qua in narratione puto Ennii vestigia satis curiose observabat Ovidius fast. II. 491—512. Tradiderunt cum eo Livius et Plutarchus Rom. c. 29, rege orbatum populum ingens eius desiderium invasisse, tum demum leniri coeptum, quum nunciasset aliquis, Romulum per noctem in itinere oblatum, Quirini nomine dictum deum inter deos vivere: deinde tristitiae in locum lactitiam cessisse et piam Quirini venerationem. Et ad hanc quidem pertinent verba *Quirine pater veneror Horamque Quirini* (fr. 57.) Nonio auctore primo libro inserenda, quibus poetam ipsum nova Quirini et Horae numina sub libri finem invocasse censeo, ut populo Romano in perpetuum faverent. Porro nuncio illi satis conveniunt fr. 55 et 56, ad quod conferas Ovid. fast. II. 509 *iussit et in teneras oculis evanuit auras.* Quare ne ea tantum in re Ennius minus feliciter ab illis differre videatur, non dubito tribus hisce fragmentis praemittere illud (54), quod populum regis desiderio occupatum repraesentat. Quamquam Gellii quidem — cuius iusta editio adhuc desideratur — Putschiani et Krehliani fidem derelinquo, ibi enim versus 4. fragm. 54 *secundi libri* notam praefixam habet: at sponsorem habeo summa fide dignum virum Hier. Columnam, qui p. 38 in pervetusto exemplari *primi libri* signum se invenisse dicit: nec profecto veri est simile, quae ad Romulum pertinerent, non omnia in primo libro esse profligata. Contra a Numae regno novi libri argumentum exorsum esse, adeo consentaneum est, ut idem Columna, qui id quoque primo libro intulit, procul dubio Festo p. 161. „Ennius. l. II. *Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis*“ obtemperare debuisset: quo quidem fragmento libri II., qui praeterea tantum Tulli Hostilii et Anci Marcii partem regni complectebatur, nihil Numae Pompilio convenientius esse pot-

est. 54. *Pectora diu* cod. Vatic. pr. m. Secunda manu eodem, quo alii *dura*, alii *dira* tentabant, falso hemistichium Ciceroni integrum reddendi studio male adscriptum est. At Cicero, uti consilium ferebat, adverbium *diu* pro voce Enniana inducebat (cf. Orat. 27. 93 et acad. II. 27. 8. de orat. II. 54. 222 al.): quam si restitueris ea verba cum versus clausula *simul inter* optime in hexametrum coeunt. Quod quum videlicet nulla codicum ratione habita fieri concessum sit, quamlibet vocem sententiae et metro convenientem, velut *fida*, *maesta* inserueris. Ad v. 5. cf. Ennium ap. Fest. p. 298 *sum quae dederat in luminis oras.* Lucret. I. 170 *inde enascitur atque oras in luminis exit.* II. 577 *vagor Quem pueri tollunt visentes luminis oras.*

55. II. IIII. 1. „οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ“ reddit Ausonius in perioch. p. 306 ed. Bip. *Iuppiter interea cum dis genitalibus una concilium cogit superum de rebus Achivis.* Iovi vero duodecim dii supremi a consiliis erant, ut est apud Ovidium Metam. VI. 72 *Bis sex caelestes medio Iove sedibus altis Augusta gravitate sedent.* Quare *dii genitales* iidem sunt, quorum nomina fragmentum 28. complectitur. Merula Saturnum, Iovem, Venerem, Aeneam, Martem intellegi vult, quod ab his Romulus divina quadam quasi serie genitus fuerit. cf. Bentlei. ad Horat. carm. saec. v. 16. Hartungium l. l. I. p. 35.

57. Post Romuli apotheosin fortasse etiam Hersiliae breviter indicata erat, ut apud Ovidium. Metam. XIIII. 849. *Hanc* (Hersiliam) *manibus notis Romanae conditor urbis Excipit et priscum pariter cum corpore nomen Mutat Horamque vocat, quae nunc dea iuncta Quirino est.* cf. Plutarch. quaest. rom. c. 46. s. διὰ τί τὸν τῆς Ὥρτας ναὸν ἀνεῳγμένον εἶχον οἱ παλαιοὶ διαπαντός; — νῦν ὀνομάζουσιν αὐτὴν Ὥραν μηκυνομένης τῆς προτέρας συλλαβῆς. Hartung. l. l. I. 301.

VITA.

Natus sum *Fridericus Theodorus Hugo Ilberg* Saxo-Borussus anno h. s. duodetricesimo Hohenmoelsenii patre *Christiano Theodoro* iurisconsulto, matre *Theresia* e gente *Hasperiana*. Fidem profiteor evangelicam. Anno h. s. quadragesimo tertio in antiquae *scholae Portensis* disciplinam traditus praeceptores nactus sum doctrina et humanitate insignes, pio gratoque animo mihi semper colendos. Unde vere anni undequinquagesimi rite dimissus *universitatem litterarum Halensem* petii ibique per annum et sex menses litteris operam dedi: scholis interfui philologicis summi viri *God. Bernhardyi*, cuius in seminarium philologicum receptus sum, dilectissimi *Henr. Keilii*, *Meieri*, *Rossii*, historicis *Leonis*, philosophicis *Erdmanni*, *Schalleri*, *Weissenbornii*, theologicis *Franckii*, orientalibus *Roedigeri*, physiologicis *Volckmanni*, virorum clarissimorum, de me optime meritorum. Auctumno anni quinquagesimi in almam *universitatem Rhenanam* me contuli, ubi *Bernaysium*, *Brandisium*, virum reverendissimum, *Loebellium*, *Overbeckium*, *Ritschelium*, *Schaarschmidtium*, carissimum virum, *Schmidtium*, *Welckerum* disserentes audivi, quorum praeceptorum illustrissimorum memoriam pie recolendam nunquam apud me intermori patiar. Duos per annos regii seminarii philologici sodalis fructus percepi, quos *Welckerus* et *Ritschelius* largissime dispensant: quibus quidem duumviris humanissimis, studiorum meorum fautoribus benevolis dignas tot beneficiis gratias persolvere summis mihi semper in votis erit.

THESES.

1. Fest. p. 330. s. *scitae* . Ennius in libro VI. *lumen . . . . . scitus agaso.* L. *iumen . .*

2. Ennii versus apud Servium ad Aen. II. 62

ut uos uostri liberi
defendant, pro uostra uita morti occumbant obviam

(*obviam* cod. Cassel., vulgo *fortiter*) ex Scipione eius videntur esse deprompti.

3. Servius ad Aen. I. 190. *Tum vulgus* (*cervorum*)] bene vulgus ductoribus interemptis . Ennius: *avium vulgus et hastarum* i. e. multitudinem et (*et* additur in cod. Cass.) hastarum et avium. L.

auium uolgus et hostiarum [*nil iuuat humanum genus*]

4. Donat. ad Ter. Phorm. V. 8. 39. *faxo tali eum mactatum* (*atque hic est infortunio*)] pro eo quod est *eum* . sic frequenter veteres. Ennius: *omnes corde patrem praebent animoque benigno circumfusum.* L. *faxo tali sum* et:

omnes corde patrem peribent animoque benigno
circumfundunt sum.

5. Inscriptionem hance cum Carolo Keilio, praeceptore carissimo, ita supplendam ess censeo:

ΕΡΡΗΦΟΡΟΝΠΑΤΗΡΜΕΠΟΤΝΑΣ[ΟΙΘΕΑ
ΣΑΡΑΠΙΩΝΜΗΤΗΡΤΕΘΗΚ[Ε]Χ[ΡΗΣΙΜΗ
ΤΗΝΣΗΝΘΕΑΝΩΠΕΝΤΕΚΑΙ[ΣΥΝΑΙΜΟΝΕΣ
ΛΟΣΔΟΙΣΜΕΝΗΒΗΝΟΙCΔ[ΕΓΗΡΑΣΚΕΙΝΚΑΛΩΣ

6. Non est disciplina, cuius sectatores aetatis alicuius speciem accuratiorum et pleniorem sibi informare debeant quam philologiae.

7. In legendo Platone adolescentium animi optime philosophiae initiis imbuuntur.

3 0112 126250254